



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

LIII. Dubium appendix de concordia gratiae efficacis cum gratuita, &
efficaci electione, ac prædestinatione saluandorum omnium, & cum diuina
prouidentia, ac prædesinitione actuum liberorum humanæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPVT LIII.

*Dubium appendix de concordia gratia efficacia cum
gratua, & efficaci electione, ac praedestinatione
saluandorum omnium, & cum diuina pro-
videntia, ac praedestinatione actuum
liberorum humana volun-
tatis.*

nihil est, quod necessitet ad eius electionem, & ideo pro sola libertate voluntatis potest non appeti. Et quia in hoc est aequalitas in vtroque medio, vt vnum assumatur, & aliud reliquatur, potius quam è conuerso, non est necessarium speciale motuum, sed sola libertas sufficit. Neque oportebit, vt in vno minores difficultates, aut impedimenta appareant, quia eadem de illis est ratio. Nam, vt dixi, & semper voluntas potest ab intrinseco se impedire, vt sic dicam, etiamsi extrinseca impedimenta non adsint, & è conuerso licet adsint impedimenta aequalia, vel etiam maiora, dummodo inuitabilia non sint, potest sua libertate illa superare. Et ideo semper voluntas est libera ad eligendum, non solum inter aequalia, sed etiam inter inaequalia, quod voluerit praesciendo, vt in 1. 2. q. 13. latius differitur.

Ad alteram partem, in qua praedicta generalis doctrina ad auxilia praeuenientia gratiae applicabatur, iam ferè responsum est, quia vel necessarium non est, aliquam inaequalitatem praecedere ante consensum, vel dissensum, vel quamuis interdum praecedat, non oportet, vt sit in auxiliis excitantibus, seu praeuenientibus, nam potest esse in aliquo vsu libero prioris praeuenientis auxilij, qui vsus sit veluti via, seu praeuia quaedam dispositio ad supernaturalem consensum, propter quem excitantia auxilia principaliter data sunt, vt de maiori attentione, aut recogitatione, aut alia simili conditione explicauimus. Ad testimonia autem Scripturae, & Patrum, quae in contrarium inducebantur, responsio ex tertia suppositione sumenda est, illam enim tantum probant; nam semper qui conuertitur, à Deo recipit auxilia congrua, quibus à Deo efficaciter trahitur ad consensum, & haec est singularis misericordia Dei, quae non potest in merito hominis fundari. Vnde ratione illius dicitur Deus, cuius vult misereri, & trahere, quem vult, etiamsi auxilia in sua entitate maiora non conferat illi, quem sic vocat.

Solum ergo vltimum Augustini testimonium ex 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & sequentibus indiget aliqua expositione: nam ibi rationem diuersitatis inter alios vocatos, quorum vnus consensit, & alius resistit, inde sumere videtur, quod in altero eorum, aliqua maior cognitio, vel delatatio praecedat. Responderi autem potest in primis Augustinum reddidisse rationem moralem, ex his, quae frequentius accidunt, non quae in rigore semper necessaria sint. Deinde dici potest Augustinum vocasse certam scientiam, aut victricem delectationem, vocationem congruam, quae semper, & infallibiliter consequitur effectum, & ideo si in illuminatione consistit, potest dici certa, quia semper hominem certiores reddit, etiamsi in se fortasse intensior, aut clarior non sit, etsi in delectatione consistit, dici potest victrix delectatio quia semper vincit, etiamsi fortasse maior in sua entitate non sit. Vnde dici etiam potest, licet in vno praecedat maior aliqua attentio, vel affectio, seu delatatio, illa inaequalitas non prouenit ex sola excitante gratia, sed adiuncto aliquo vsu libertatis, vt in superiori puncto explicauimus.

Cogimur in hoc capite explicare concordiam efficacis gratiae prout à nobis declarata est, cum diuina electione praedestinatorum, praesentatione actuum liberorum, & in vniuersum cum perfectione diuinæ prouidentiae, tum quia haec omnia ita sunt cum gratia connexa, vt non possit sine compositione illorum inter se doctrina haec consummari, tum maxime, quia defensores physicae praedeterminationis existimant, vera dogmata de illis omnibus sine tali genere praedeterminantis auxilij non posse consistere, & ideo non solum nobis obiciunt, sed etiam tribuunt multa, quae iudicio illorum vel absurda, vel etiam erronea sunt, quia ex nostra sententia sequi contendunt. Proponemus ergo sigillatim obiectiones eorum, & occasione illarum veram concordiam in illis omnibus, quae proposuimus, ostendimus.

Prima obiectio sumitur ex electione gratuita praedestinatorum ad gloriam. Supponunt enim ex sententia Augustini, & D. Thomae necessarium esse confiteri Deum in aeternitate sua ante praescientiam omnium meritum absolutum, & immutabili decreto statuisse, tot, & talibus hominibus aeternam beatitudinem conferre in tali gradu, & perfectione, & non pluribus, neque paucioribus; quod decretum, vel electio gratuita praedestinatorum vocatur. Ablata igitur necessitate praedeterminationis physicae, & posita efficacia gratiae dependente aliquo modo à cooperatione liberi arbitrij, sequi necessitati existimant, discretionem inter electos, & non electos, non ex Deo, sed ex hominibus esse sumendum, ac proinde tolli electionem gratuitam ex parte Dei. Vnde quidam illorum Patrum ex nostra sententia intulit non Deum eligere homines, sed potius homines eligere Deum, contra illud, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Ioan. 15. Probatur sequela, primò, quia ita Deus ordinatur praedestinos ad gloriam, vt per actus liberos illam adipiscantur, sed iuxta nostram sententiam, decretum Dei efficax & antecedens repugnat libertati; ergo iuxta nostram sententiam non potuit in Deo talis electio; seu decretum praecedere. Vel secundò, vt Deus habeat tale decretum, necesse est, vt sola sua virtute possit efficaciter determinari homines, vt saluari velint, & media salutis implere per actus liberos; sed iuxta nostram sententiam Deus non habet talem potestatem, quia sine auxilio praedeterminante non potest esse talis efficacia, quae sufficiat ad certitudinem dictae electionis, & nos negamus tale genus auxilij; ergo.

Quòd si respondeamus, posita praescientia conditionata posse consistere sufficientem mediorum efficaciam, & certitudinem sine praedeterminatione, contra hoc insurgunt, primò impugnando scientiam conditionatam, & certitudinem eius, nisi fundatur in antecedente decreto. Secundò inferendo, eo ipso sequi electionem ad gloriam non

Summa capituli.

Obiectio 1. de electione gratuita praedestinatorum ad gloriam.

Ioan. 15.

3.

non esse ante omnem præscientiam meritotum, ac proinde non esse omnino gratuitam, quàm non elegit hunc potius, quàm illum, nisi quia nouit hunc fuisse consenturum vocationi, & non illum, & ita in tempore non ideo Deus trahet hominem, quia elegit eum in æternitate, sed potius quia præiudicet hominem fore eligentem Deum tali tempore, eligit illum ex æternitate. Tertiò similiter conferunt numerum saluandorum non esse certum in diuina electione, & vocatione, & in præscientia, quod etiam repugnat gratuita electioni.

Secunda obiectio huic similis est, quia sequitur ex nostra sententia Deum non prædefinire actus liberos, quia si illos prædefiniret, illa præfinitio esset suppositio antecedens, vt illa particula *præ-* notat, & ita tolleret libertatem iuxta nostra principia. Et confirmatur hæc obiectio, quia iuxta illam sequitur consequenter actus liberos euenire præter intentionem Dei, quod multum derogat perfectioni diuinæ providentiæ. Sequela probatur, quia intentio dicit decretum absolutum, ac præfinitum voluntatis, sed Deus non habet tale decretum circa actus liberos, qui de facto eueniunt; ergo præter intentionem Dei eueniunt.

Tertia obiectio est, quia sequitur Deum non habere perfectam providentiam omnium effectuum causarum secundarum in particulari; quod est absurdum, vt per se constat. Sequela patet, quia providentia dicit rationem prædisponentem de futuris euentibus; ergo perfecta providentia postulat perfectam dispositionem omnium in particulari, absolute statuendo quid in singulis momentis, & actibus omnis causa secunda factura sit, quod non fit sine absoluta omnium prædefinitione; ergo ablata huiusmodi prædefinitione, aufertur perfecta providentia. Et confirmatur, quia sine tali providentia, non est perfecta gubernatio, quia hæc in eo posita est, quod Deus tanquam supremus Dominus vtatur omnibus causis secundis, & omnibus voluntatibus, applicando illas quo voluerit, & vbi, quando, & quomodo voluerit, qui vsus non potest esse sine vniuersali præfinitione. Assumptum patet, quia dominium est potestas vñdi, vnde in vsu perfecto ostenditur plenitudo dominij; vsus autem est applicatio potentie ad opus, ex D. Thoma 1. 2. q. 16. ergo si Deus non applicat inferiores causas, & præsertim voluntates humanas ad suas operationes, non perfecte vtitur illis, ergo neque perfecte eas gubernat, & consequenter neque perfecte eis prouidet, quia gubernatio est effectus prouidentie.

Quartò specialiter obicitur de perfectione prouidentie circa peccata, non solum vt actus sunt, sed etiam vt peccata sunt, neutro enim modo saluatur perfecta Dei prouidentia circa illa iuxta nostram sententiam. Prior pars probatur, quia actus peccatorum iuxta nostram sententiam non præfinitur à Deo; ergo neque intenduntur ab ipso; ergo sunt præter intentionem Dei, & sine ipsius voluntate, quod est contra perfectionem prouidentie. Altera pars probatur, quia licet peccata, vt peccata solum permittantur à Deo, tanta verò sapientia illa permittit, vt illis non minus vtatur ad fines suæ prouidentie, quàm si illa ordinaret, vt videre licet in peccato crucifigentium Christum, & in peccato fratrum, qui Iosephum Aegyptiis venderunt, & similibus: hoc autem tam excellens prouidentie genus non potest consistere sine præfinitione talium actuum, quia permissio purè spectata relinquit voluntatem omnino indifferentem sine vlla deter-

minatione; ergo per se sola, si non funderetur in aliqua præfinitione, non potest esse medium certum ad al. quem finem. Vnde confirmatur, quia quod Deus permittit, infallibiliter euenit, vt in duris contingit, iuxta illud, *Nemo potest corrigere, quam tu ipse despexeris*. At hoc intelligi non potest sine præfinitione; ergo.

Hæc obiectiones duas præcipue attingunt & discutunt, vna est de ordine prædestinationis quoad gratuitam electionem, in qua prædestinatio vel constituitur, vel fundatur, alia est de præfinitione actuum liberorum. Et hæc duo pendunt ex aliquo puncto, an scilicet, in diuina voluntate ordo intentionis, & executionis distinguendi sint. Quæ tria breuiter attingam propter huius materie complementum, nam in 1. p. & in lib. de Auxil. latius hæc disputata sunt. In primo ergo puncto antiqua, & celebris opinio Theologorum fuit, Deum peculiariter actu, & proposito absoluto voluntatis suæ præfuisse omnes homines, qui saluandi sunt, vt ante omnia bona; & mala merita omnium parum hominum præuisa à cæteris non saluandis discreuerit, & ad æternam gloriam infallibiliter consequendam destinauerit: postea verò docti aliqui moderati, licet hunc actum gratuite electionis diuinæ prædestinatorum ad gloriam, non negauerint, dixerunt tamen, non esse priorem etiam ratione voluntate dandi, & constituendi prædestinatos in taligine rerum, in quo infallibiliter talia haberent merita, per quæ tantam gloriam consequerentur. Quam opinionem sequutus est Molina in concordia. q. 23. art. 1. & 2. disp. 2. §. *Præterea*, & art. 2. disp. 1. memb. 8. qui non differt ab antiqua opinione in asserenda gratuita electione prædestinatorum ante merita absolute præuisa, sed solum in explicanda illa per signa prioris, & posterioris secundum rationem, hæc enim ipse negat. Neque in hoc noua est eius opinio, nobis tamen non videtur necessaria, neque apta ad explicandos notio modo effectus, & causas prædestinationis. Sed quia hoc ad præsens non refert, sufficienter nobis alibi dicta, cum his, quæ statim dicemus.

Deinceps verò P. Valquez 1. p. disp. 89. à cap. 6. licet signa rationis in actibus diuinæ voluntatis non negat, nihilominus latissime persuadere conatus est non habuisse Deum ante præuisa saluandorum merita absolutum actum voluntatis dandi illis gloriam. Non abstulit autem omnem præuiam intentionem dandi eis gloriam, quæ esset finis meritum, & gratiæ, quam illis dare decreuit: sed dicit illam intentionem non fuisse per effectum decretum voluntatis Dei, sed per simplicem affectum, quem alij velleitatem, alij conditionatam voluntatem, alij voluntatem antecedentem appellant. Nam hunc saltem actum reputauit necessarium, vt Deus perfectam prouidentiam gratiæ haberet illam ad debitum finem ordinando, quod sine aliquo actu circa eundem finem intelligi non poterat. Negat tamen illum actum esse absolutum, & efficacem, quia putat repugnare libertati humanæ, & derogare meritis gloriæ, & propter alias rationes, quas latissime prosequitur; multa etiam Patres, quas latissime prosequitur; multa etiam Patres, quas latissime testimonio congregando: Et ideo in eadem 1. p. disp. 82. cap. 5. cum docet in voluntate Dei ordinem intentionis esse priorem ordine executionis, limitationem adhibet, quia cum finis consequendus est per media moralia, vt sunt merita, intentio finis non potest esse efficax, sed per simplicem tantum affectum.

Obiectio
2. de acti-
bus liberis.

Obiectio
3. de prouidentia.

D. Thomas.

Obiectio
4. de perfectione prouidentie circa peccata.

Tandem nouioris quidam Theologos progressi sunt, ut non solum negent, habuisse Deum ante praeuila merita efficacem voluntatem dandi praedestinati gloriam, verum etiam doceant nullo actu, vel affectu voluisse Deum dare aut ordinare illos ad beatitudinem consequendam, directe intendendo illorum beatitudinem, ut finem prius ratione, quam voluerit eis dare merita, quae in tempore contulit, quibus praestitis voluit efficaciter gloriam eis propter merita tribuere. Fundantur, quia in diuina voluntate nullus est ordo intentionis, sed executionis tantum. Vnde P. Valquez reprehendunt, eo quod non fuerit consequenter loquutus. De me autem aiunt, futilibus argumentis motum esse ad illos duos ordines intentionis, & electionis in diuina voluntate vniuersae distinguendos; fundamentum autem propter quod ipsi illos negant, est, quia putant, Deum constitui volentem liberè creaturam, nam per solam suam voluntatem essentiam, seu entitatem, sed simul cum ipsa creatura volita, quae est terminus illius voluntatis diuinae cum quo ipsa non necessariò constituitur.

Quo fundamento posito sic colligunt. Creatura non potest concurrere suo modo ad constituendum Deum volentem, nisi accipiat entitatem, aut esse actuale per ipsammet voluntatem, per quam dicitur volita, quia solum sub illo statu non habet necessariam connexionem cum libera Dei voluntate, nam sub esse possibile, vel nullam connexionem habet, quia non amatur, vel si quam habet, illa est necessaria, quod aliquam complacentiam iuxta varias opiniones. At verò creatura non accipit entitatem, vel esse actuale, nisi per voluntatem exequentem Dei; ergo non potest intelligi Deus volens liberè creaturam, nisi per voluntatem exequentem; ergo nec potest intelligi in voluntate diuina ordo intentionis distinctus etiam ratione ab ordine executionis. Vnde consequenter inferunt, quod licet in actibus voluntatis Dei assignari possint signa rationis, illa sola sunt cogitanda in ordine executionis, ita ut illud sit volitum prius, quod in re futurum est prius executione, seu quod est alterius causa, ad eum modum, quo solet medium in executione esse causa finis. Ex quo tandem concludunt non dari in voluntate diuina circa praedestinos praeuila intentionem liberam dandi eis gloriam, sed solam voluntatem exequentem, in qua prius intelligitur voluntas vocandi, quam iustificandi, & iustificandique glorificandi.

Nihilominus in hoc primo puncto de efficacia electione praedestinatorum, quae ordine intentionis praecedat eorum merita praeuila, opinio affirmans, quae D. Thomae, & communis Theologorum est, & Augustini etiam esse opinio, mihi semper placuit. Vt autem illam breuiter proponam, à tertio puncto inchoandum est, in quo communis sententia Theologorum omnino praefenda est, quam non futilibus argumentis, sed solidis rationibus fundatam esse certò credimus. Est autem communis sententia in diuina voluntate non tantum executionis, sed etiam intentionis ordinem reperiri, & à nobis considerandum esse. In hoc autem puncto duo includuntur, vnum est in diuina voluntate utrumque ordinem intentionis, & executionis verè, & propriè reperiri; aliud est inter illos ordines esse distinctionem aliquam rationis, & consequenter in eis actus ratione distinctos cum ordine prioris, & posterioris in variis rationis signis spectari posse. Primum est praecipue intentum, &

ante omnia probandum, inde verò inferemus aliud, quia licet in hoc non sit tanta concordia inter Theologos, neque res sit tanti momenti, quia in modo ipsius intelligendi, & concipiendi nostro, quam in re ipsa consistit; nihilominus rectè de illis signis sentire, & loqui ad rem melius intelligendam & explicandam non parum prodesse potest, ut in discursu dicemus. Nunc ergo per dictos ordines solum intelligimus actus ipsos pertinentes ad ordines ipsos intentionis, & executionis secundum formales rationes eorum, semotis imperfectionibus, quales sunt distinctio actualis, quae in re sit inter tales actus ratio causalitatis inter eos, & prioritas temporis, vel naturae. quibus ablatis optimè concipimus, eundem actum esse posse veram intentionem vnius rei, ut finis, & electionem alterius, ut medijs ad illam, sicut intelligimus posse amari vnam rem ut honestam, & aliam tantum ut vilem, siue illi amores sint re, siue ratione distincti, siue hunc, siue illum ordinem inter seferuent. In hoc ergo sensu dicimus in Deo esse ordinem intentionis, quia in voluntate diuina est vera intentio vnius rei, & finis, & electio alterius rei ut medijs ad illam. Et sententiam sic explicatam credimus esse communem Theologorum, praesertim D. Thomae, & Scholasticorum, & Augustini. Quia verò de executione executionis nulla est quaestio, ordinem intentionis praecipue ostendimus, & quia Theologi, & Augustinus maxime hoc attingunt tractantes de diuina praedestinatione, & gratia, ideo principale punctum hic intentum de gratuita electione praedestinatorum ad gloriam comprobabimus.

Primo ergo sumitur prima sententia satis aperte ex D. Thoma 1. p. q. 22. art. 1. ubi docet prouidentiam esse rationem ordinis rerum in finem utique intentum ab ordinante, & prouidende. Vnde addit in solut. ad 1. quod prouidentia est in intellectu, sed supponit voluntatem finis; nullus enim praecipit de agendis propter finem, nisi velit finem. Ex hoc D. principio in q. 23. art. 4. probat ad praedestinationem, prout est in intellectu, supponit in voluntate Dei, dilectionem, seu electionem, quia praedestinatio aliquorum, (inquit,) ad salutem aeternam praesupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem, utique ut intentionem finis respectu mediorum praedestinationis. Et in art. 7. hanc intentionem vocat principalem praefinitionem, per quam Deus intendit certum numerum saluandorum, quia omne agens, (inquit,) intendit determinatam mensuram in suo effectu. Eundem intentionis ordinem supponit D. Thomas in 1. 2. q. 112. art. 13. cum inquit, si ex intentione Dei mouentis est, quod homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur. Nam in his verbis ordo intentionis euidenter continetur, supponunt enim in Deo intentionem dandi gratiam, & ab illa procedere motionem, quae infallibiliter habeat effectum.

Praeterea idem D. Thomas lib. 1. contr. gent. cap. 36. ex professo docet, dare rationem diuinæ voluntatis, eo modo, quo finis est ratio volendi ea, quae sunt ad finem. Et sic in ratione prima dicit, Deum velle bonitatem suam tanquam finem, & cetera ut media, iuxta illud Prouerb. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, In ratione autem secunda dicit, etiam inter bona creata vnum ordinari à Deo ad aliud ut in finem, & sic cadere sub diuinam voluntatem, & in ratio-

Ostenditur
ordo inten-
tionis.

11.
Probatur
gratuita e-
lectio præ-
destinato-
rum ad
gloriam

Idem.

Idem.

D. Thom.

Prou. 6.

Corollarium.

Idem de
gratuita e-
lectione prædestina-
torum.

ne 3. dicit, supposito, quod Deus aliquid vult, necessarium velle, quæ ad illud requiruntur. Quæ omnia evidentissime pertinent ad ordinem intentionis, neque sine illo intelligi possunt. Vnde licet de modo loquendi sit alia controuersia inter Theologos, an sit dicendum Deum velle vnum, quia vult aliud, vel velle vnum propter aliud: item an vnum obiectum creatum sit Deo ratio volendi, aliud per modum finis, vel sola sua bonitas sit finis, propter quem vult omnia creata ut media ad gloriam suam, nihilominus omnes in hoc conueniunt, quod in Deo est intentio finis, & electio mediorum, & quia inter media vnum est propinquius finis, quam aliud, ideo interea velle vnum propter aliud, ut videre licet in Caietano 1. p. q. 19. art. 5. Ferrar. 1. contr. gent. cap. 86. & 87. Capreol. in 3. dist. 1. quæst. vnic. art. 3. ad argumenta contra primam conclusionem, ubi in solut. ad 3. expresse distinguit in mente Dei ordinem intentionis ab ordine executionis, & illum dicit esse priorem ratione, ex parte obiectorum.

Caietan.
Ferrar.
Capreol.

Eadem est sententia Scoti in 1. dist. 41. & in 3. dist. quæst. 3. & dist. 19. ubi Lycherus, & alij explicant, & sequuntur, & Corduba lib. 1. q. 56. opinion. 5. in secunda eius parte, ubi inter alia expresse distinguit in Deo duas voluntates dandi gloriam prædestinatis, aliam ante præuisa merita, aliam post meritum præuisionem, & hanc dicit esse voluntatem executionis, illam intentionis. Denique omnes alij antiqui hanc doctrinam supponunt, dum de Christi, vel nostra prædestinatione disputant, ut videri potest in Durand. in 1. dist. 41. Bonauent. in 3. dist. 1. art. 2. q. 1. & aliis ibi, & Alenf. 3. p. q. 2. memb. 13. Eandem sententiam sequitur Bellarm. lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 17. Et illam supponit Valentia, qui falsò in contrarium allegatur. Nam in 1. tom. disp. 1. q. 19. punct. 5. s. ex his assertionibus, expresse dicit Deum prius voluisse beatitudinem Petri, quam eius merita, quam beatitudinem in genere causæ moralis, seu dispositiue, per quæ duo explicat aperte ordinem intentionis. Et in secunda assertionem, ex locutionibus Scripturæ probat Deum verè, & cum omni proprietate operari propter finem, ac subinde esse in voluntate eius ordinem intentionis, qui per particulam propter, vel ut, solet frequenter in Scripturis indicari. Et in 4. tom. disp. 1. punct. 7. in toto illius discursu illam distinctionem supponit. In 5. autem Neque verò, & sequenti referens expresse illam distinctionem de ordine intentionis, & executionis, non refutat illam, sed supponit potius, & addit ad rem, de qua ibi tractat, intempestiue applicari, quod nostra nunc non refert. Ait etiam quidquid est posterius in intentionis ordine, semper fieri in executione propter illud, quod est in intentione prius, quod est verissimum; per hoc autem non confunduntur, sed distinguitur aperte ordines prædicti.

14.
Compro-
batur di-
ctorum ve-
ritas ex
Scripturâ.

Possumus præterea veritatem hanc ex sacra Scriptura, & Patribus confirmare, quatenus eodem modo loquuntur de Deo, ut agente propter finem, & intendente finem, & eligente media, sicut de hominibus; & ad id explicandum modo hominibus accommodato, Deo etiam consilium tribuunt, quod seclis imperfectiōibus, & cum omni proprietate in his, quæ ad perfectionem simpliciter pertinent, ab omnibus intelligitur. Sic dicitur ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut

essemus sancti. Vbi particula, ut, finem denotat; & ideo à Hieronymo ibi, & Augustino frequenter ponderatur, non dixisse Paulum, quia futurum esset sancti, quod ad ordinem executionis pertinuerit, sed, ut essemus sancti, quod pertinet ad ordinem finis & intentionis. Vnde infra Paulus, Sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, ut finis in laudem gloriae eius. Et in eodem sensu dicit cap. 2. Creati in operibus bonis in Christo Iesu, qui præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Illa etiam voluntas, qua vult Deus, omnes homines saluos fieri, nullo modo potest esse nisi per modum cuiusdam intentionis, qua Deus vult hominibus salutem, & ex vi cuius præparat omnibus media aliquo modo sufficientia, ut illam consequi possint. Cui simile est illud Luc. 13. Quoties volui congregare filios tuos, & noluiisti. Hæc enim & similia non metaphoricè interpretanda sunt, cum non sit necessarium, & proprietas verborum tenenda sit. Per ea ergo significatur voluntas Dei antecedens, qua de se tale bonum intendit, & ex vi illius confert media, quæ ex hominum malitia effectu suo frustrantur.

In electis autem intentio est absoluta & efficax, & ex vi illius media congrua, & accommodata bonis Deus confert. Et hunc intentionis ordinem variis locutionibus explicauit nobis Augustinus de hac ipsa materia differens. Ait enim lib. de Conser. & Grat. cap. 14. Cum homines per corruptionem in iustitia seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in iudiciis eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, & rigante dat incrementum Deus? Et rationem, seu modum declarans addit Cui volenti saluum facere vultum humanum resistit arbitrium, ac si diceret, vocationem eius, qui sic vocatur, ut conuertatur, procedere ex absoluta voluntate Dei saluandi illum, & ideo neminem illi resistere; præcedit ergo secundum Augustinum illa diuina intentio ad talem executionem. Eandem doctrinam indicauit lib. de Prædest. Sanct. c. 8. dicens, Hac gratia, quæ occulte hominibus tribuitur, à nullo duro corde resistitur. Ecce efficaciam in executione, radicem autem ex ordine intentionis ostendit, addens, Ideo quæ tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Et infra, Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiae, qui præparauit in gloriam, ubi verbum, facit, executionem, verbum autem præparauit, intentionem indicat. Et similiter in c. 17. ait. Elegit prædestinatos, ut credant quia crediderunt. Et infra, Quos prædestinauit, hos & vocauit, illa scilicet vocatione secundum propositum. Quod propositum non est nisi intentio efficax saluandi illos, quam paulo antea vocauerat electionem æternam, dicens, Elegit eos de mundo, cum hic ageret in carne, sed iam electos in seipso ante mundi constitutionem. Vbi duplicem electionem æternam, & temporalem indicat. Vnde huic æternæ electioni tanquam primæ, & efficaci intentioni solet August. tribuere omnem peculiaritatem curam, quam in executione Deus habet prædestinatorum, ut in c. 7. de corrept. & grat. laudat, & eleganter describit, declarat, & concludit. Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est, qui & elegit eos in filio suo per electionem gratis, id est, gratuita, ut notauit Toletus ad Rom. 11. notat. 4. & verba ab eodem Augustino subiuncta declarat. Quoniam secundum propositum vocati sunt per electionem, (ut dictum est,) gratia non præcedentium meritorum suorum. Vnde etiam constat, quoties Augustinus loquitur de vocatione secundum propositum, per propositum intelligere hanc diuinam intentionem, &

electionem, unde subiungit, *Ex istis nullus peris, quoniam omnes electi sunt: electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei, de quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret. Et ut tolleretur omne dubium, terminum, seu obiectum illius electionis declarat, dicens, Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.*

Præterea est ad hanc rem confirmandam insigne testimonium Eusebii Pamphili, seu Cæsariensis in disputatione cum Philosopho de filij diuinitate, quæ refertur in Concilio Niceno nouiter per Alphonsum Pisatum, nostræ Societatis, collectum, & in tom. 1. Conciliorum editum. Ibi enim in lib. 2. paulo ante medium, tractando verba illa Prouerbior. 8. *Dominus possedit me, &c. vel iuxta Septuaginta, Condidit me initium viarum suarum, inter alia interrogauit Eusebius Philosophum, Est ne conditus homo propter mundum, an mundus propter hominem? Respondit autem Philosophus, Omnino mundus propter hominem: quam responsonem acceptans Eusebius subiungit, Si mundus est propter hominem, omnino cum homo prior in Dei proposito, mundus in Deo proposito erit homine, ac rationabili sapientia posterior. Igitur si homo prior est mundo, erit prior naturis, quales sunt cælum, terra, dies, nox, nubes, abyssus, fontes, montes, & collis, prior erit his sapientia, & homo in Dei proposito iam prior est mundo, sed eundem accidet posterior in via creationis conditus fuisse. Qui autem in diuina intentione homine posterior erat, ille in viam creationis incidit. Sed sapientia quam inuenit prudentia filius Dei, quam dedit homini ad imaginem suam, ipsa etiam in diuina intentione mundo, & mundi naturis prior fuit. Et iuxta hanc doctrinam, & distinctionem de homine interpretatur illam Salomonis sententiam. Dominus possedit me initio viarum suarum; possedit utique in proposito, & initium in ordine intentionis. Confirmatque tandem totum discursum verbis illis Domini. Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum.*

Hoc autem testimonium quantum ad sensum attinet, nullum patitur tergiversationem: volunt enim explicare Eusebius; quomodo sapientia creata in homine, (de quo locum Salomonis interpretatur,) vocetur initium viarum Domini, cum in executione fuerit posterior, & ad hoc explicandum distinguendum ordinem intentionis, & executionis, & supponit ordinem intentionis esse priorem, & initium respectu inferiorum creaturarum fuisse hominem. Unde dici non potest Eusebium solum distinxisse executionem ad extra, quæ in tempore facta est, à voluntate Dei æterna, per quam in tempore creationem exequutus est: tum quia expressè dicit, hominem fuisse priorem mundo in diuino proposito, & de conuerso mundum fuisse posteriorem in eodem Dei proposito: & deinde hoc propositum declarat per intentionem Dei; tum etiam, quia si in ipsa voluntate æterna Dei, non est nisi ordo executionis, non habet in illa res futura alium ordinem, nisi correspondentem ordinis executionis, ut aduersarij frequenter, & consequenter docent. Non potest ergo de sensu illo dubitari, neque ipsi Scholastici expressius, & clarius, de his ordinibus, & signis loquuntur. Deinde considero, quòd licet illa sententia ab Eusebio non modicam auctoritatem habeat, longè maior illi accrescit ex consortio Patrum, quorum nomine respondebat, ut ibidem dicitur, nam illi saltem tacendo consensisse visi sunt, & ipse Eusebius illam doctrinam, tanquam communem, & receptam à Catholicis proponere visus est. Pondero præterea Eusebium to-

tum suum discursum in particula propter, fundasse. Nam quia Philosophus admiserat mundum propter hominem creatum esse, inde intulit hominem fuisse priorem in intentione diuina, & inde tandem ordinem intentionis, & executionis in ipsa Dei voluntate distinxit, seumque discursum ex illis Christi verbis, Sabbathum propter hominem factum est, confirmauit: unde eodem modo possemus nos ex infinitis sacra Scriptura locutionibus similibus eandem veritatem comprobare.

Denique ratione etiam potest eadem veritas ostendi, quia quidquid est perfectionis in voluntate creata, & actibus eius inuenitur, licet in voluntate creata non sit, nisi admixtum imperfectionibus, nihilominus seclusis imperfectionibus Deo tribuendum est, cui nulla perfectio deneganda est: sed operari propriè & perfectè propter finem spectat ad perfectionem simpliciter; ergo hoc maxime tribuendum est Deo. Minor certissima est, quia in vniuersum pertinet ad perfectionem agentis non tempore & casu operari, sed indefinitum terminum sua actione tendere, & ideo omnia agentia etiam naturalia, quatenus perfectè operantur, agunt propter finem; inter illa verò ea, quæ ratione caret, agentur potius, quàm agant propter finem, propter imperfectionem suam, unde necesse est, ut ab aliquo intellectu agente dirigantur, ut etiam Aristoteles assequutus est; ergo in intellectuali agente ad formalem perfectionem eius simpliciter spectat, ut per se operetur propter finem, certa ratione, & consilio sua opera in definitum in finem ordinando. Hoc autem faciunt creaturæ rationales, vel producendo actus à sua voluntate distinctos, vel vnum actum per alium efficiendo, ut electionem mediorum per intentionum finis, vel prius tempore, & causalitate, quàm aliud volendo: hæc autem imperfectiones, & similes remoueri possunt à voluntate Dei, seruata perfectione simpliciter agendi, & volendi propriissime propter finem, nam propter infinitatem, & simplicitatem suam, vno purissimo actu potest velle plura obiecta creata, vnum, ut finem alterius, & ut rationem volendi illud, sicut etiam eodem actu vult se, & alia, se propter se, & alia propter ipsum; ergo habet Deus propriè, & formaliter illam perfectionem, sine cæteris imperfectionibus. Et confirmatur, nam difficilius apparet vno, & eodem actu aliquid velle necessarium, & aliquo libere, & vnum efficaciter, aliud inefficaciter, seu simpliciter affectu, quàm velle vnum ut finem, & alium ut medium; sed in diuina voluntate simplicissima, illa omnia inueniuntur eminenti, & formali modo, quia ad perfectionem simpliciter spectant; ergo hæc etiam intelligenda in ea sunt. Quidquid ergo nos appetimus diuersis actibus intendendo, diligendo, utendo fruendo, vult Deus vno simplicissimo actu.

Hoc autem perfectione intellecta in diuina voluntate, consequens necessariò fit, ut in eo sit ordo intentionis; hic enim ordo per se, & remotis imperfectionibus non dicit ordinem realem in ipsis actibus, sed tantum veram rationem formalem intentionis, & electionis in tali actu, ex quo resultat ordo aliquis realis in ipsis obiectis, & consideratur à nobis secundum rationem in ipso actu Dei, quia non possumus illam prout in se est, intelligere, sed inadæquatè illum incipiendo, & in plures actus secundum rationem illum distinguendo. Ergo sicut in nobis est ordo intentionis realis, ita est in Deo eminentiori modo, quem nos per distinctionem, & ordinem

18.
Veritas supradictorum ostenditur.

19.

Confirmatur, & declaratur.

Augustin.

dinem rationis explicamus. Et confirmatur, ac declaratur, nam simili ratione docent Theologi, Deum habere in mente sua ideas, seu rationes rerum omnium, per quas tanquam supremus artifex res tam varias, ac multiplices operatus est. Quia, ut Augustinus ait lib. 83. *Quæstionum*. q. 48. non aliter intelligimus Deum summa ratione omnia condidisse, non minus autem concipere debemus Deum rationabiliter operantem in motali, quam in artificio so modo operandi; ergo necessario debemus concipere Deum ut perfectissimè operantem propter finem, nam sicut ad perfectum, & rationabilem modum operandi artificis spectat, per propriam exemplar vnum quodque producere, ita ad effectum, & rationabilem modum & agentis liberè, & moralis pertinet per propriam intentionem, & electionem propter finem operari, sic igitur operatur Deus; ergo in voluntate eius datur verus ordo intentionis, qui in illis actibus consistit.

20. Distinguitur ordo intentionis ab executionis ordine. Probatur.

Et hinc ulterius sequitur, ordinem intentionis nostro modo intelligendi, esse distinctum ab ordine executionis, & illo priorem. Probatur, quia nos non possumus apprehendere, aut explicare diuinam, nisi ad instar eorum, quæ in nobis experimur, sed in nobis ordo intentionis antecedit ordinem executionis, quia finis est, qui prius mouet ad sui affectum, & desiderium, seu intentionem, & inde fit transitus ad electionem, & inde ad executionem, seu vsum; ergo licet Deus hæc omnia in se habeat vno simplicissimo actu, nihilominus secundum rationem intelligere debemus voluntatē Dei primario ferri in finem, quam in media, & prius per modum cuiusdam determinati affectus interni, quam per modum executionis ad extra, & hoc vocamus ordines intentionis, & executionis. Et confirmatur; nam in scientia Dei licet simplicissima, & sine discursu sit, intelligimus Deum, v. g. siue hominem esse risibilem, quia est rationalis. Vnde nostro intelligendi modo, si actus illos ratione distinguamus; apprehendimus, ut priorem cognitionem essentiae, quam passionis ab illa resistentis, & actum circa principium, quam circa conclusionem; ergo similiter in proposito. Declaratur præterea, quia ubi nos intelligimus, vnum dependere ab alio, & non e contra, intelligimus prioritatem, & ordinem secundum rationem, sed executio pendet ab intentione, & illam supponit, & contrario verò intentio non ita pendet, quia licet intentio efficax inferat executionem, tamen potest esse intentio determinata, & executio indifferens, quia potest per varia media, & diuersis modis fieri; ergo intelligitur rectè ordo rationis in quo intentio præcedit.

21. Releitur fundamentum in ultima sententia propositum.

Neque contra hanc resolutionem vllius momenti est fundamentum nouum in ultima sententia propositum. Id enim, quod supponit Deum constitui volentem liberè simul per suam essentiam, & creaturam volitam, incredibile mihi visum est. Tum quia inde sequitur, Deum, ex parte saltè formaliter constitui volentem per ipsam creaturam volitam; tum etiam, quia similiter concedendum erit, constitui formaliter scientiam rei factus per ipsas creaturas scitas, quod nulla ratione permittendum est, quia hoc maior imperfectio esset in Deo, quam accipere scientiam, vel voluntatem à rebus. Deinde creatura volita, vel scita, & terminus extrinsecus volitionis, vel scientiae; ergo non potest formaliter concurrere ad constituendum Deum volentem, vel intelligentem; nam in nobis non est intelligibile solum, quia obiectum se habet extrinsecè; ergo multo minus in Deo. Denique denominatio volentis, vel scientis,

nulla ex parte potest esse extrinseca, etiam quoad determinationem ad tale obiectum, aliàs non esset vitalis, neque ex intrinseca perfectione.

Et vt alia omittam, quibus illud principium enecti facile potest, etiam illatio, quæ ex illo fit, nullius est momenti: nam vt Deus sit volens liberè, non est necessaria existentia actualis creaturæ, aliàs ex tempore constitueretur Deus volens; sufficit ergo obiectiua præscientia; ergo etiam consequenter dicendum esset Deum constitui volentem per creaturam obiectiuè sibi coniunctam, tam in ordine intentionis, quam in ordine executionis, præsertim, quia ad actum liberum non est necessario mutatio libera in obiecto volito, sed sufficit moralis, vel secundum aliquam habitualinem ad esse futurum: hæc autem mutatio etiam in ordine intentionis spectari potest, quia eo ipso, quod Deus intendit creare hominem, intelligitur homo ipse nouo quodam modo coniunctus voluntati diuinæ; ergo in illa opinione etiam dici posset, & deberet Deum constitui sic determinatè volentem per suam voluntatem, & hominem sic obiectiuè sibi coniunctum, quod si hoc est incredibile, quia illa qualiscunque mutatio in tali obiecto à voluntate Dei libera provenit, idem est probabile in voluntate executionis, quæ est causa sui obiecti. Si ergo certum dari ordinem intentionis in voluntate Dei libera.

Hoc ergo supposito in particulari puncto, quod prima obiectio facta postulat de electione prædestinatorum, in primis fatemur, in operibus gratiæ, & gloriæ maximè inueniri ordinem intentionis, & executionis, & vtrumque considerari debere in diuina voluntate, seu prædestinatione. Deinde admitimus circa prædestinatos primum omnium antecedere efficacem decretum Dei, quo ante omnia merita obsoletè præiudicat talibus hominibus dare regnum celorum, quod decretum respectu prædestinatorum vocatur dilectio, & respectu aliorum, qui non sic eliguntur, vocatur electio, & respectu mediocriorum, quibus comparanda est beatitudo, vocatur intentio. Est autem absoluta, & efficax, vt si proportionata mediis certis, & congruis, quæ ex vilius dantur prædestinatis, vt indeclinabiliter gloriā consequantur, distinguitur autem secundum rationem ab electione mediocriorum, quia circa diuersa obiecta versatur, & procedit secundum rationem, tum quia gloria est propter se, seu immediate propter Deum, media autem sunt propter hominis gloriā, tum etiam, quia decretum de gloriā per se non limitatur ad hæc, vel illa media, sed postea hæc per electionem determinatur. Vnde etiam distinguitur illa intentio à voluntate exequente, quia intentio nostro modo concipiendi incipit ab ipsa gloria, & præcedit merita absolute præiudicat, voluntas autem executiua incipit à vocatione, & inde procedit ad alia auxilia, quibus fiunt merita, & perseverantia in illis, quibus præiudicat intelligitur voluntas executiua etiam circa ipsam gloriā, quæ cadit in illam sub diuersa applicatione præmij iam debiti, & est per modum applicationis potentiae executivæ, vel per modum actualis productionis luminis gloriæ, & auxilij necessarij ad videndum Deum, in quo beatitudo consistit.

Ad obiectionem ergo principalem concedimus Deum ante omnia merita præiudicat elegisse prædestinatos efficaciter ad gloriā, hoc enim propter præiudicium hic factum, & Scripturis, & Augustini.

no magis consentaneum existimamus, vt in aliis locis citatis latius ostendimus. Neque talis actus est suppositio ita antecedens, vt tollat libertatem, quia per se non est executiva, neque determinatiua voluntatis creatae, & quia virtute claudit habitudinem ad media efficacia non sine libera determinatione voluntatis humanae conditionaliter praesumpta. Et ideo ad illam intentionem gloriae non est necessarium auxilium praedeterminans, sed congrua vocatio sufficit, vnde consequenter dicimus, vt Deus habere possit hunc actum salua ipsius efficacia, & praedeterminatorum libertate, necessarium supponi in Deo scientiam conditionatam, quam nos verissime supponi censuimus, vt ostendimus in secundo Prolegomeno, vbi, quae contra illam obicit solent, dissoluimus.

Ad replicam autem secundam, quae nunc additur, quod tunc ista electio non esset omnino gratuita, sed aliquo modo ex praestitis meritis, respondemus negando sequelam. quae certe fundari non potest nisi in errore Massilientium, qui ad rationem praemij, vel poenae putabant sufficere opera sub conditione praesumpta, quod tamen Augustinus, & Prosper omnino damnant, vt in Prolegomeno visum est, & ad hominem potest retorqueri argumentum: nam qui ponunt physicam praedeterminationem, negare non possunt, quin Deus per scientiam simplicis intelligentiae, ac subinde ante electionem praedeterminatorum praescierit, si talibus hominibus talis modus praedeterminationis detur, fore consensuros, & tamen inde non sequitur, quod voluntas eligendi eos ad gloriam, fuerit ex illis operibus; ergo nec in nostra sententia sequitur. Dicemus ergo illam praescientiam, esse necessariam ex parte Dei, vt habeat certa media, quibus suam electionem exequi possit, si tam gratis velit concedere. Vnde non sequitur Deum elegisse hominem, quia liberè erat consensurus, sed elegisse illum, quia voluit, & quia elegit, ideo ita vocare illum, vt consentiat, vt Augustinus q. 2. ad Simplicianum. & aliis locis docet. Et ita etiam non sequitur, numerum saluandorum non esse certum in voluntate, sed in praescientia, nam per scientiam conditionatam nihil scitur absolute futurum; ergo in illa non potest esse certus praedeterminatorum numerus, sed cum illi voluntas adiungitur, in ea est certus, vt per se satis constat.

Sed instari potest, quia illa voluntas dandi gloriam, quam Deus habuit erga praedeterminatos, includit necessarium respectum ad talia media, quorum efficacia ex libero arbitrio pendebat; ergo semper includit conditionem, si homo consentiat, seu cooperetur vocationi; ergo non fuit absoluta, & efficax voluntas. Item non potest magis esse absoluta voluntas finis, quam in mediis, sed mediis non est absoluta simpliciter; ergo nec voluntas finis. Probatur minor, quia est voluntas meritorum liberè exercendorum; ergo necessarium includit conditionem in obiecto, aliis libertati repugnaret. Praeterea vocatio congrua non est ex se absolute efficax, sed solum supposita cooperatione liberi arbitrij sub conditione futura; ergo nec voluntas finis, quae includit formaliter, vel virtute ordinem ad talem vocationem potest esse simpliciter absoluta, quia talem virtute includit semper illam conditionem. Denique illi voluntati Dei potest humana voluntas resistere, simpliciter loquendo; ergo illa voluntas Dei non est absoluta & efficax; nam voluntati Dei efficaci nemo potest resistere. Antecedens probatur,

quin homo potest absolute non habere talia merita, sed illa non habeat, resistit illi voluntati; ergo simpliciter potest illi voluntati resistere.

Ad haec responderi potest voluntatem illam Dei dupliciter considerari posse, vno modo secundum se, & abstrahendo à praescientia Dei conditionata, alio modo vt iam supponit illam scientiam; & priori modo non esse absolutam voluntatem, neque efficacem, sed indifferentem vt sit efficax in praescientia. Et hoc probatur argumentis factis. Alia verò modo posse considerari vt coniunctam scientiae conditionatae, & vt sic esse efficacem. Ad eum modum quo nos dicimus vocationem congruam per se spectatam, & secundum suam absolutam entitatem non habere in se, ac determinatè actualem efficaciam, sed potius de se esse indifferentem, vt congrua, vel incongrua sit, in praescientia autem esse congruam & efficacem, quia cooperatio liberi arbitrij illi coniungenda supponitur.

Sed non est necessaria distinctio quoad actum diuinae voluntatis, neque illi rectè accommodatur, neque etiam equiparatio illa cum congrua vocatione in omnibus fieri potest. Imò ex diuersitate inter voluntatem internam Dei, & vocationem externam facile res intelligitur. Vocatio enim est res creata habens suam absolutam entitatem, secundum quam optime consideratur, vt praesentia à cooperatione voluntatis creatae, quam praedeterminare non potest, sed excitare, & inducere, & cum illa cooperari si velit, & ideo de se dicitur non inferre necessarium actualem efficaciam, sed solum ex suppositione, quod voluntas sit illi cooperativa, quam suppositionem entitas illius vocationis per se non postulat, nec praesupponit, sed solum vt procedit ex tali praescientia, & ideo sub tali respectu dicitur efficax, non absolute & secundum se. At verò decretum illud voluntatis Dei, vt sit tale decretum necessarium supponit talem praescientiam conditionatam qua illa media praecognoscuntur, vt efficacia. Nam si decretum illud consideretur secundum suam solam absolutam entitatem, sic non est decretum efficax, nec inefficax, nec absolutum, nec conditionatum, imò nec decretum liberum est, sed est sola voluntas Dei se necessarium amans, & potens liberè amare obiecta creata, seu creabilia, prout voluerit, sine mutatione, vel additione reali, quae in ipsa fiat. Constituitur autem nostro modo intelligendi in esse talis decreti per determinatum respectum ad tale, vel tale obiectum, & quia determinatio voluntatis supponit obiectum cognitum sub tali ratione, vel conditione, qua possit tale decretum terminare, ideo non potest tale decretum absolute tantum, & secundum suam entitatem spectari, sed necessarium considerandum est vt supponit talem scientiam, & cum illa tali, vel tali modo determinatur.

Et hac ratione si Deus non habet scientiam conditionatam de futuro effectu talis vocationis; si detur, nullo modo posset habere decretum dandi illam vocationem vt congruam, & efficacem; neque daret illam, vt gratiam specialem & singulare beneficium, quali in praecedenti capite explicuimus; supposita autem praescientia, dat illam peculiari affectu longè diuerso ab eo, quem habet erga illum cui dat vocationem entitate similem absque tali praescientia: & ideo talis affectus singularis non potest considerari tanquam quid absolutum, & abstrahibile à tali praescientia, seu obiecto, vt per illam proposuimus. Sic ergo dicimus

cimus de electione prædestinatorum ad gloriam. Nam, ut haberi possit eo modo, quo nunc illam habuit Deus, necessario supponit præscientiam eiusdem gloriæ, ut infallibiliter comparabilis per hæc, vel illa media, & ideo considerari non potest secundum se, ut abstrahit à tali præscientia, per quam obiectum capax talis effectus illi proponitur. Ut si autem spectatum illud decretum omnino est absolutum, & efficax, quia licet excurio eius pendeat ex cooperatione libera tanquam à concausa, vel conditione necessaria, nihilominus ante tale decretum supponitur purificata conditio in præscientia Dei, & in obiecto, ut per illam proposito, & ideo absolute vult Deus talem gloriam dare, & per illam voluntatem efficaciter determinatur ad danda media quæ in præscientia sua novit esse efficacia.

30.
Respondetur ad alias instantias Ad primam.

Ad instantias verò facile responderetur. Ad primam aliqui dicunt decretum illud dandi gloriam de se abstrahere etiam à meritis, & aliis mediis pendentibus à libertate hominis, ideoque esse posse omnino absolutum. Sed non placet, quia probabilius est, semper, & in omni signo prædestinasse Deum gloriam ut humano, & morali modo consequendam, & ut coronam, ac præmium meritum, in quo necessario includitur virtualis ordo ad merita, seu ad media moralia, & libera, saltem abstractè & in communi. Dicimus ergo, quod licet secundum hanc considerationem medium illud pendeat à conditione homini libera, tamen quia in præscientia Dei iam supponitur purificata conditio, decretum est omnino absolutum. Sicut inter homines, quia ignorant conditionem futuri eventus, promissio sub conditione talis eventus futuri conditionata est; si tamen fiat promissio sub conditione de præsentia cognita, nomine tantum est conditionata, & propositum internum necessario erit absolutum, quia purificata est conditio. Et simili modo dicimus ad secundam instantiam voluntatem dandi merita tali homini, seu voluntatem dandi illi fidem, charitatem, &c. esse absolutam, sicut mox de prædestinatione dicemus; neque id repugnat libertati, quia supponitur in præscientia futurus usus ille libertatis, & per illam suppositionem purificatur conditio, potestque esse decretum absolutum sine læsione libertatis.

31.
Ad tertiam.

Ad tertiam eodem modo dicimus, hoc decretum Dei de gloria hominis prædestinati virtute ordinari ad vocationem congruam, ut congrua est, concipit que ex suppositione congruitatis eius iam præiussa. Vocatio autem illa licet præcisè spectata non sit de se efficax, tamen ut congrua est, omnino est efficax, & ita purificata conditio, non impedit quominus decretum Dei sit absolutum.

Ad quartam.

Ad quartam negatur posse voluntatem humanam resistere illi decreto Dei, sicut non potest resistere vocationi congruæ, ut congrua est, & præiussa, ut tali. Neque hæc impotentia resistendi est contraria libertati, quia non est impotentia simpliciter, sed ex suppositione usus liberi iam præiussi. Nam si voluntas præiussa est hoc volitura in tali tempore, & occasione, iam non potest aliter velle, illa hypothese supposita, & nihilominus liberè est volitura, quia hoc ita futurum supponebatur; eodem ergo modo non potest voluntas resistere tentationi, quæ ex efficacia sua, & sapientia potest applicare media, cum quibus novit voluntatem consensuram.

CAPVT LIV.

Appendix de prædefinitionibus cum aliarum obiectionum responsione.

VT aliis obiectionibus satisfaciamus, pauca de prædefinitionibus divinis, quod tertio loco proposuimus, dicenda sunt. Et in primis circa verbum *prædefinienti*, seu *præsumendi*, (idem enim sunt in usu Scripturæ, & Patrum,) advertendum est, in significatione non distinguere à verbo *prædestinandi*, nam indifferenter utroque Patres utuntur, ut ex infra citandis constabit. Et in Scriptura idem verbum Græcum *ἐπιλέγω*, vel *προσέλεγω*, interdum per verbum *prædestino*, interdum verò per verbum *præsumo*, aut *desinio* à vulgato interprete transfertur, ut videre licet ad Rom. 1. & ad Cor. 2. & ad Eph. 1. & Act. 2. & ita hæc verba ut synonyma ponit Salmeron in Præludiis ad epistolam Pauli tract. 2. disp. 1. ubi etiam addit verbum *prædispono*, quod minus usitatum est, & verbum *prædetermino*, quod etiam in Scriptura non invenio, usu tamen Theologorum receptum est, ut statim dicam. Quia tamen hæc verba ex simplicibus composita sunt addita particula *præ*, circa utramque partem aliquid declarandum est, ut in verborum significatione æquioratio tollatur.

Circa verbum ergo *desinio*, aut *desinio*, advertendum est posse, vel ad internos actus animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt, applicari. Nam *desinare* ad animam relatum idem est, quod *prædisponere*, vel intra se constituere aliquid faciendum, iuxta illud 2. ad Corinth. 8. & *desinam voluntatem nostram*, & cap. 9. *Prout desinam in corde suo*. Et iuxta hanc significationem in Deo explicuit verbum *prædefinienti* Paulus ad Eph. 1. cum dixit, *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundum propositum voluntatis sue*, & in eodem sensu loquitur ad Roman. 8. dum ait, *Hi qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de quibus postea subdit, *Quos prædestinavit, hos & vocavit*. Apud Latinos verò sæpe refertur hoc verbum ad exteriores actiones, & significat *mittere*, vel aliquid minus aliquem exterius designare. Idem considerare licet in verbo *desinendi*, nam communiter significat aut verbis describere, seu declarare voluntatem, & essentiam, aut certis terminis & limitibus rem aliquam terminare. Frequenter verò refertur ad animum, ut patet ex illo Actuum 2. *Humili desinito consilio*, & *præscientia Dei traditum*, & cap. 17. *Desinens statuta tempora*, & Luc. 22. *Vilius hominum sicut desinitum est, vadit*. Idem notari potest in verbo *determinandi*, in rigore enim significat exteriori actionem ponendi terminum certum, vel locum, vel temporis; transfertur verò etiam ad animum, nam quia voluntas de se indifferens est cum aliquid eligit, vel proponit, determinari dicitur. Et ita proportionem servata, idem est, *prædeterminare*, quod *prædefinire*, & utrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni, & æterni propositi, ut videre licet in D. Thoma 1. part. quest. 23. art. 1. ad 1. & 3. contr. gent. cap. 90. vel ratione externæ temporalis actionis, quæ causam secundam de se indifferentem ad unum determinat, & nunc moderni Theologi frequenter loquuntur.